

titui; vel quòd essentia animæ in cogitatione reponatur. — At non sola cogitatio vita est animæ, cùm ei multæ aliæ competant vitales operationes; ac proinde licet non semper actu cogitet, non tamen omni actione vitali destituitur. — Animæ verò essentiam non consistere in cogitatione alibi probabimus.

2º Constat *a posteriori* nos non semper actu cogitare, idque, ut prætereamus infantes, quibus nullæ sunt ideæ, nobis aliquando accidit tum in somno, ut alibi ostendemus, tum in ipsâ vigiliâ. Nam quandoque in vigiliâ ipsâ intellectus actu vacat videturque obdormire, dum vel aliqua alia hominis facultas vehementius in actu suo intenditur, vel aliud quiddam mentem a cogitatione avocat.

II. *Falsum est nos semper actu conscios esse cogitationum nostrarum.* Enimvero *actualement* conscientiam sui non habet anima, nisi cùm super suos actus ope *reflexionis* revertitur. Atqui, teste ipsâ experientiâ, reflexionem hanc non semper exercet, seu debilior sit impressio quam a rebus accipit, seu tota intendat ad objectum aliquod, seu passionibus aut nimiam mobilitate teneatur, seu demum agat ipsâ vi habitudinis. Quare notat Leibnitzius observari aliquid in animâ quod circulationi sanguinis respondeat variisque viscerum internis motibus, qui apperceptionem præterlabuntur.

126. Attamen, si ageretur de conscientia tantum *habituali*, libenter concederemus illam esse perennem. Nam, ex dictis (n. 121), eo ipso quòd subjectum cogitans semper et intimè sibi præsens est cum variis suis affectionibus vel actionibus, pronum semper est ad seipsum inspiciendum vel cogitandum.

§ VI — De naturâ memoriæ intellectualis.

127. PROP. : *Memoria, quatenus intellectui convenit, non est potentia specialis, ab ipso realiter distincta.*

Existere memoriam quamdam intellectivam, a memoriâ sensitivâ, de quâ suprâ (n. 75, 76) distinctam, perspicuum est, cùm experientiâ teste, cognitiones nostras intellectuales re-

cordemur. Verùm, ut ipsa non sit facultas *specialis*, ab intellectu realiter distincta, duo sufficiunt: 1º in intellectu servari posse species rerum prius a se intellectarum; 2º eas ab ipso recognosci posse tanquam prius habitas. Atqui hæc duo constant.

Constat 1º. Si enim sensus species sensationum servare potest, *a fortiori* potest intellectus servare species rerum a se prius intellectarum. Quippe cùm sit immaterialis, immutabilioris est naturæ quàm sensus, et quod in ipso imprimatur, profundius hæret quàm quod in sensu. (Cf. S. Th., 1ª, q. 79, a. 6, c).

Constat 2º. quia intellectus apprehendere potest non solum *substantiam*, verùm etiam varias *circumstantias* sui actûs, et proinde recognoscere illum, tanquam a se olim elicatum.

Confirmatur, quia sicut intellectus, vi conscientia, percipit actum suum in *præsenti*, quin conscientia sit facultas ab intellectu diversa, ita, ope memoriæ, percipere potest actum suum ut *præteritum*, quin ab eo memoria specificè differat. (Cf. S. Th., 1ª, q. 79, a. 6, ad 2).

CAPUT IV

DE POTENTIA APPETENDI

128. *Notio et species appetitûs.*

1º Appetitus in genere definitur *inclinatio entis ad aliquam rem sibi convenientem.*

2º Porrò trifariam dividitur, scilicet in *naturalem*, *sensitivum* et *rationalem*. Appetitus naturalis oritur a naturâ ipsâ, nec est aliud nisi *inclinatio cujusque rei ad suum finem*, et ad

operationes sibi congruas. Itaque non est *specialis* potentia, sed communis inclinatio insita diversis entibus et potentiis, quâ ad finem suum moveantur.

Appetitus sensitivus est *potentia quâ ens aliquod inclinatur ad bonum sensu apprehensum.* — Appetitus rationalis est *potentia quâ quis inclinatur ad bonum intellectu apprehensum.* — Etenim, in entibus vi cognoscendi præditis, appetitus cognitionem sequitur; unde axioma: *ignoti nulla cupido.* Et propterea, sicut dividitur cognitio in sensitivam et rationalem, ita appetitus in sensitivum et rationalem dividatur oportet. De utroque sermo habendus est.

ARTICULUS I

De appetitu sensitivo.

Dicendum est: 1° de appetitûs sensitivi divisione; 2° de variis ejus manifestationibus, seu de passionibus.

§ I. — De appetitûs sensitivi divisione.

129. 1° Appetitus sensibilis tendit ad bonum *physicum*, vel a malo *physico* abhorret. Porrò *communi* appetitûs nomine vocatur, quia boni prosecutio causa est fugæ mali; malum enim odio non habetur, nisi quia privat bono amato. — Et cum terminetur ad objectum sensile et corporeum, inter potentias organicas numeratur.

2° Porrò appetitus sensitivus merito *dividitur* in *concupiscibilem* et in *irascibilem*, prout *simpliciter* prosequitur convenientia, aut nociva refugit, vel *resistit* contrariis et adversantibus quæ convenientibus impedimentum præbent, et ingerunt nocumenta. In primo casu, *desiderio* satis est uti; unde nomen appetitûs *concupiscibilis*; in posteriori autem, conatu et irâ opus est, ad resistendum impugnationi externæ; unde nomen appetitûs *irascibilis*.

Revera *existere* in ente sensitivo duplicem hanc vim pro-

bat experientia; utramque ipsi *necessariam* esse ut assequi vel tueri valeat suum bonum, apertè declarat ratio.

3° Appetitus concupiscibilis et appetitus irascibilis *duplicem* constituunt *potentiam*; nam etsi occupentur ambo circa bonum sensile, tamen illud attingunt ratione *formaliter* diversâ; appetitus concupiscibilis tendit ad bonum sub ratione *delectabilis*, dum appetitus irascibilis tendit ad bonum sub ratione *ardui*. — Ex dictis etiam, exercent actus omnino diversos.

Confirmatur, quia cum altero alter aliquando *pugnat*, et aliquando alter alteri *auxiliatur*; v. g. anima, contra inclinationem appetitûs concupiscibilis, tristitia amplectitur, ut secundum inclinationem appetitûs irascibilis, impugnet contraria; et juxta votum appetitûs concupiscibilis, implorat appetitûs irascibilis auxilium, cum insurgendum est contra ea quæ impediunt convenientia, vel nociva ingerunt. (Cf. S. Th., 1^a, q. 81, a. 2, c).

§ II. — De passionibus (1).

130. I. *Notio generalis passionum.* 1° Passionis nomen sæpe usurpatur ad designandos *vehementes* animi motus vel *perturbationes*. At, quanquam passio sæpe in perturbationem desinit, nihilominus deordinatio ista non essentialiter inest ei, sed solum accidentaliter. Rectius ergo definitur *motus appetitivæ partis sensibilis, ortus ex apprehensione boni vel mali*.

2° In passione, subjectum magis *passivè* quàm *activè* se habet. « Etenim *pati* dicitur, ut monet D. Thomas, ex hoc « quòd aliquid *trahitur* ad agentem...; nam nomine passio- « nis importatur quòd patiens trahatur ad id quod est agentis. » (1^a 2^a q. 22, a. 1 et 2). Porrò potentia appetitivæ maximè competit ut trahatur ad res *exteriore*s, quia per eam anima inclinatur et tendit ad illas, dum contra, in cognitione, res exteriores animam nostram ingrediuntur et in eâ sese recipiunt.

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 3, a. 3.

3^o Quoniam ad sensilia potissimum proni sumus, et appetitus sensibilis est facultas organica, boni appetitus vel mali fuga in organis nostris excitat *commotionem* quamdam, « et organum transmutatur quantum ad suam naturalem dispositionem, puta quod calefit aut infrigidatur, vel alio modo simili transmutatur. » (1^a 2^æ, q. 22, a. 2, ad 3). — Transmutationes istæ corporales quandoque vix exterius manifestæ sunt, si nempe remissus sit passionis motus; sin autem vehementior, eas cernere licet, maximè in vultu, quem vel calor statim occupat, vel frigus quod per ima ossa videtur currere.

131. II. *Organum passionum* (1). Si fides multis recentibus, passionum organum est cerebrum; si veteribus, cor. Porrò veterum sententia probabilior nobis videtur. Nam præterquam quod sensui hominum communi maximè consentanea est, ratione potest persuaderi. Cor enim se habet ad passionem, ut aliarum potentiarum organa se habent ad earum actionem, siquidem est *sedes* simul *ac principium* partiale passionum. Res externæ in sensus agunt, et in eos agendo certam immutationem exercent in organum cuique facultati proprium, v. g. in oculum et aurem. Atqui passionem cor ipsum *immediatè* immutant, nec movent vultum vel alias corporis partes, nisi *consequenter* et *secundariò*; cor quippe passionibus statim movetur atque agitur, et varios earum omnium motus *patitur* simul *ac exprimit* quàm exactissime. In cerebro verò nullam hujusmodi emotionem cernere licet.

Confirmatur, quia ipsâ suâ functione cor benè aptum est ad experiendum motum passionis. Ut enim advertit S. Thomas, passio quælibet sita est in motu quodam ad bonum sensibile, vel in fugâ mali sensibilis. Sed hic duplex motus corde rectè explicatur; nam ea est propria cordis functio ut sanguinem in cunctas corporis partes propellat; sanguis porrò diffundit calorem, et calor est causa partialis omnium motus, monente Angelico; « calor est instrumentum quo anima movet. » (1^a 2^æ, q. 44, a. 3, c).

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^e part., c. 2, a. 2, § 2.

Cæterum ex multorum physiologorum confessione, ut ex scientiâ recentî nullum capi argumentum potest in gratiam nostræ sententiæ, ita nullam contra eam eruere licet probabilem objectionem. Omnia quippe phænomena passionis æquè explicantur, sive cerebrum habeatur tanquam causa passionis, ut volunt adversarii, sive, ut contendimus, non sit nisi *conditio* sine quâ non illius. Sanè quidem cognitio sensitiva conditio est appetitus sensitivi, cerebrum autem est organum cognitionis sensitivæ, at scientiâ nihil exhibet cur cerebrum sit organum ipsum passionis, dum, ex dictis, argumenta philosophica in gratiam cordis militant.

132. III. *Divisio passionum*. Cùm, ex dictis, passionem nihil aliud sint nisi certi *motus* appetitus quibus bonum vel malum sensibile prosequimur vel fugimus, tot erunt passionem, quot motus hujusmodi formaliter diversi. Porrò *undecim* numerantur, ut profundè admodum describit Doctor Angelicus :

« Omne movens trahit quodammodo ad se patiens, vel a se repellit. Trahendo quidem ad se, *tria* facit in ipso. Nam primò quidem dat ei inclinationem vel aptitudinem ut in ipsum tendat...; secundò, si corpus est extra proprium locum, dat ei moveri ad locum. Tertio dat ei quiescere, in locum cùm pervenerit... Et similiter intelligendum est de causâ repulsionis.

« In motibus autem appetitivæ partis, bonum habet quasi virtutem *attractivam*, malum autem virtutem *repulsivam*. Bonum ergo primò in potentiâ appetitivâ causat quamdam *inclinationem*, seu aptitudinem, seu connaturalitatem ad bonum, quod pertinet ad passionem amoris, cui per contrarium, respondet odium, ex parte mali. — Secundò, si bonum sit nondum habitum, dat ei *motum* ad assequendum bonum amatum; et hoc pertinet ad passionem desiderii vel concupiscentiæ; et ex opposito, ex parte mali, est fuga, vel abominatio. — Tertio, cùm adeptum fuerit bonum, dat appetitus *quietationem* quamdam in ipso bono adepti; et hoc pertinet ad delectationem vel gaudium, cui opponitur, ex parte mali, dolor vel tristitia...; in passionibus autem irascibilis..., respectu boni nondum habitum, est spes et

« desperatio; respectu autem mali nondum injacenti, est timor et audacia..., et ex malo jam injacenti sequitur passio iræ.

« Sic igitur patet quòd in *concupiscibili* sunt tres conjugationes passionum, scilicet amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia. — Similiter in *irascibili* sunt tres, scilicet spes et desperatio, timor et audacia, et ira, cui nulla passio opponitur. Sunt ergo omnes passiones *specie* differentes undecim, sub quibus *omnes* animæ passiones continentur. » (1^a 2^a, q. 23, a. 4, c; cf. *Qq. dispp. de Verit.*, q. 25, a. 2, c).

143. IV. Explicatio cujusque passionis. — Amor est passio quâ inclinatur anima ad bonum sensu apprehensum, ut ei uniatur et adhæreat; nam est amor, ut D. Dionysius dicit, « *virtus unitiva*; odium contrâ est passio quâ malum aliquod, aut saltem ut malum sensu apprehensum, *aversamur*.

Desiderium vel *concupiscentia* est passio quâ movemur ad *quærendum* et *adipiscendum* bonum sensile absens. — *Fuga*, vel *abominatio*, vel *aversio*, est passio quâ *recedimus* a malo sensili, vel curamus ne malum sensile nobis instet. — *Gaudium* vel *delectatio*, est passio quâ bono sensili adepto *perfrui-mur*, et in eo *quiescimus*. — *Dolor* seu *tristitia* (1) est passio quâ malo sensili jam injacente *laboramus* et *cruciamur*.

Spes est passio quâ *erigimur* ad bonum sensile *arduum*, quod tamen *possibile* est adipisci. — *Desperatio* nascitur ex apprehensione boni quod adipisci *impossibile* est, vel ex apprehensione mali quod imminet velut *ineluctabile*. — *Audacia* eniti-mur sive ad obtinendum bonum arduum, sive ad superandum malum grave. — *Timor* est animi *dejectio* cum trepidatione quâdam ex malo propiùs instante, a quo declinare vix licet.

(1) Viget distinctio inter *dolorem* et *tristitiam*, ex unâ parte, *delectationem* et *gaudium*, ex alterâ. Dolor enim potiùs sensibile, dum tristitia potiùs rationale malum respicit. — Item delectatio nascitur ex quocum-que bono, vel sensibili, dum gaudium propriè sequitur bonum rationale. — Cæterum, dolor potest fieri causa tristitiæ, et delectatio gaudii. — Dolor et delectatio sensilis tactu passivo præsertim percipiuntur. — Demum quæque facultas delectationem vel gaudium accipit ex possessione sui objecti.

Demum, *ira* est passio quæ nascitur ex malo jam injacente, et quâ vel malum præsens vi, pro posse nostro, avertere conamur, vel saltem appetimus vindictam.

Eæ sunt animæ passionēs, ut ait Bossuetius, *principales*, et extra quas aliæ nullæ inveniuntur specificè diversæ, sed ad quas aliæ, si quæ sint, facilè *revocantur*, utpote illarum *speciales* affectiones.

134. Inter eas *primatum* obtinet amor, quem philosophi *radicem ac fontem* omnium animæ motuum, cum S. Thomâ, ore uno docent. Et hoc quidem sapienter decretum est, tum quia « naturaliter bonum est prius malo, eò quòd malum est « privatio boni » (1^a 2^a, q. 25, a. 2, c); tum quia malum non aversamur, nisi quia privationem inducit boni amati (1).

Reliquarum passionum *ordinem genesimque* conspiciere fuit ex verbis D. Thomæ suprâ laudatis.

ARTICULUS II

De appetitu rationali, seu de voluntate.

Dicemus : 1^o de objecto voluntatis; 2^o de ipsius naturâ; 3^o de causis moventibus quibus indiget ut in actus suos prorumpat; 4^o de libertatis naturâ; 5^o de illius existentia; 6^o de falsitate objectionum quibus a deterministis impugnatur; 7^o de influxu intellectûs in voluntatem; 8^o de affectu appetitûs rationalis (le sentiment); 9^o de dependentiâ appetitûs sensitivi a ratione et voluntate.

§ I. — De objecto voluntatis.

135. Voluntas est *potentia quâ bonum vel malum intellectu apprehensum appetimus vel aversamur*; seu brevius *appetitus rationalis*. Vox *appetitus*, genus proximum voluntatis; vox autem *rationalis*, differentiam specificam declarat.

(1) Unde Bossuetius : « Otez l'amour, il n'y a plus de passion; et posez « l'amour, vous les faites naître toutes. » (*Conn. de Dieu et de soi-même*, c. 1, art. 6).